



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Compendivm Summae seu Manualis Doct. Navarri**

**Ávila, Esteban de  
Azpilcueta, Martín de**

**Lvgdvni, 1609**

Rex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41656**

Accusatus de vero criminis secreto, non tenetur ad restituendam famam, quam accusator amisit, eo quod illud non probavit, si non tenebatur illud confiteri: immo quantum teneretur: si non respondit accusatorem calumniari, sed decipi: nec quamvis respondeat calumniari, si non credatur sibi, quoniam credunt accusatorem non fecisse contra conscientiam. c. 18. num. 48.

Qui iniustè negavit veritatem, non tenetur in conscientia soluere pœnam illam, ad quam si confiteretur, condemnaretur: tenetur tamen etiam post iniquam absolutiōnem soluere debitum, & interesse, gitra condemnationem. cap. 18. num. 49. de iure necessitate est quod non damnetur inauditus, & indefensus. cap. 25. n. 9.

## R E X.

**V**olens scire futura, vel gesta ab hostiis, per eos qui habent spiritum familiarem, peccat mort. cap. 11. n.

Peccat aliena regna cupiens, vel captiō restituens, nisi aliquid iustè excusat. cap. 25. num. 1.

Peccat mort. gubernans iniustè vel ob malum finem, vel excitans factiones, vel exercitatas non sedans; non prouidens necessaria

nia ad victum , non ferens leges necessarias ; aut non exequens latae : non exercens suos in armis : non munjens arces : non cumulans diuitias necessarias, ut regnum liberet a fame, vel ab hostibus : vel accumulans grauando subditos : vel prodigè largiens bona. num. 3. vel negligens refectionem , & custodiam publicarum viarum. num. 4. Non relinquens in arbitrios suspicione carētes litem alias inextinguibilem. 4. Item peccat mort. constituens legem pœnalem ob suam vtilitatem , vel ad congerendum pecunias ex transgressione eius , vel dispensans sine causa in legibus diuinis, aut naturalibus: vel condonans sine causa delicta contra legem naturalem , vel diuinam : vel suspendens sine causa lites, vel solutiones debitorū.n.4.5.

Non permittens subditis suas in amunitates bona populi usurpās, & tenetur restituere: Item compellens minis, vel precibus importunis subditum ad donandum sibi sua bona, non interueniente causa iusta, & tenetur restituere.c.25.n.6.

Item peccat mort. impediens visitationē Monialium : exigens tributa noua absque necessitate publica , quamvis exigat in bonum finem , & multo magis si ad pompas superfluas. numer. 6. Compellens subditos ad id non obligatos sibi gratis laborare:

borare: vendens officia tam carē, vel talibus,  
vt probabiliter credat ementes illis male-  
vulos. Cogens ad matrimonium vel impe-  
diens: præficiens operarios imperitos, &  
malæ conscientiæ, tenetur restituere da-  
mna: & præsentās ad beneficia Ecclesiastica  
(quorum est patronus) personas non idoneas:  
non cohibens subditos ab usurpando  
alieno: negligēns abolere prauas conseru-  
dines. num. 7. & 8.

Condemnans reum non audiendo illum,  
& iubens interfici veneno subditum inau-  
ditum, & indefensum, vel priuans officiū,  
vel beneficiis ad nutum non amouibilibus  
sola scientia priuata ductus. Peccant etiam  
executores talium mandatorum: secusū  
sint amouibilia, vel cùm res notoria est, vel  
ex natura rei, vel ex actu constat nullam  
condemnando defensionem competere. Idē  
cùm aliqua magna, & iusta causa omittit  
audire reum, dummodò curet pro absenti  
allegari alleganda. num. 9.

Quando tenetur restituere subditis, &  
nō potest, securius consilium erit superflua  
statūs, & gratuita dona moderari, vt sive  
suis redditibus possit restituere. num. 11.

Quando peccat violando libertatem, &  
immunitatem Ecclesiasticam, vide tit. Ex-  
communicatio. V I. § I. Aut quando regis  
statuta

statuta & leges obligent ad mortale, vide  
tit. Lex.

## S A C E R D O S.

S A C E R D O S debet scire legere, scribere,  
Scantare, & construere linguam Latinam:  
& scire formam & materiam cuiusvis Sa-  
cramenti, & modum administrandi illa.cap.  
15.num.133.

Omnis sacerdotes in sua ordinatione  
accipiunt aequalem potestatem absoluendi;  
quæ potestas & iurisdictio habitualis, con-  
seruit Sacerdotibus iure diuino, per Sacer-  
dotalem characterem, & per suam conse-  
crationem, non tamen accipiunt iurisdi-  
ctionem actualem, quæ prohibita est eis iu-  
re humano, donec assequantur illam ratio-  
ne tituli, vel alia de licentia.cap.4.num.3. &  
cap.27.num.259. & 260.

At vero iurisdictio habitualis est adeo ne-  
cessaria, ut sine illa non possit consistere ab-  
solutio.ca.27.n.272.§.7. Et sicut huius ex-  
equitio interdicitur recens ordinatis, & ve-  
tatur eis iure humano, donec eis actualis  
conferatur ab Ecclesia.n.259.§.2. & 5. ita &  
eadem potest suspendi per excommunica-  
tionem, excepto articulo mortis. n.272.§.7.  
Atque extra istum articulum nullus Sacer-

S Y D O S